



39







45

DISPUTATIO MEDICA,
De
**UTERI RHEU-
MATISMO,**

Quam

FAVENTE DIVINO NUMINE,

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Celeberrimi & Experientissimi VTRI,

D. THEODORI van de GRAEFF,

Medic. Doctoris, nec non in Academia Electorali Brandenburgica, quæ Duisburgi Clivorum est, Professoris Ordinarii, ut & Serenissimi & Augusti Electoris Brandenburgici Medici Aulici,

Publico Examini subjicit

GEORGIUS WILHELMUS LELY,
Clivo-Clivensis.

Ad diem 16. Julii, horis locoque solitis.

1690
1690

DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typographum.
Anno M. DC. XCII.

V I R I S,

Nobilissimo, Amplissimo ac Spectatissimo,

DN. REINERO LELY,

Teloniorum, quæ in utraque Rheni
Ripa Serenissimo Augusto ac Po-
tentissimo Electori Brandenburgi-
co parent, ejusdem Domini nostri
Clementissimi Autoritate, Inspe-
ctori fidelissimo atque solertissimo:

NEC NON

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo,

DN. ANTONIO WERNERO

Münz/ J. U. L.

Ejusdem Majestatis Brandenburgi-
cæ Xantensium & ditionis Win-
nenthalensis Prætori æquissimo, ac
integerrimo:

Illi Patruo, huic Avunculo:

Tutoribus meis, nunquam non plurimum
honorandis, venerandis, colendis;

*Dissertationem hanc Medicam ea qua decet
mente manuque*

D. D. D.

G E O R G. W I L H. L E L Y,
Clivo-Clivensis.

ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ
ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ
ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ ପାଦମୁଖ କରିବାକୁ

D. T. O. M.
DISSERTATIONIS MEDICÆ
De
UTERI RHEUMATISMO.

THESES.

Nfestam quidem infirmo muliebri sexui, imò cunctis ingratam expertis viris, sed scitu tamen summopere necessariam lustrare & explicare aggredimur materiam, utpote plurimarum, ubi præsens est, ærumnarum causam; si quis enim mentis aciem ad uteri *inflammationem*, *schirros*, *cancros*, *maraſnum* seu *totius corporis tabem*, & similes, alteriusque farinæ morbos, nobiscum reflectere dignatur, eos etiam suos inde quandoque natales trahere facile agnoscat, præprimis, cum fluxu hoc cessante, omnes, adhibitis remediis, cessent effectus, omnia evanescant acerba jam enarrata inde originem ducentia mala; idque vel simul cum ipso fluxus fine, vel aliquamdiu postquam tragœdias suas ad finem perduxit, & lucem respuit, prout scenam suam ubi ludebat & in publicum prodibat, vel in his vel in illis partium solidarum latibus, semen suum depositus; quod postea aut aëris, aut aliarum particularium ab aliis partibus adventantium, & per poros foris intro spectantes intrantium ope, ad fermentationem deductum, sanguini aliisque humoribus admixtum, novas ærumnas de novo aut excitat, aut prioribus deflendis symptomatibus alimoniam suppeditat.

III.

Quas diras & Pestes tam Veteres , quam hoc nostro tempore Apol-
lineam artem profitentes , animadverentes , non tantum ejus sympto-

A 2 mata 3

mata, sed & causas penitus rimari, aggressi fuere: Verum enim vero
cum ars longa, vita brevis, occasio præceps & sape deficiens, experimen-
tum periculosum, judicium difficile, præsertim cum accuratori anato-
mia, nondum ad præsens fastigium evecta, destituerentur, avibus ha-
ctenus sinistris litarunt, infœlici quasi sidere nati, ut illud ex sequen-
tibus clarè demonstrabitur.

III.

Attamen cum plurimum ad rerum essentiam dignoscendam contri-
buat rei aliqua, de qua agendum, cognitio, ut eò facilius in illius in-
teriorum naturam deducamur, quid per *fluorem muliebrem* hic loci
intelligamus, paucis etiam indigitare & præfari, consultum duximus.
Variae quia *florum* species unico sub hoc nomine comprehenduntur,
alba nempe, *Flava*, *Rubra*, *Viridis*, *Nigra*, & plures aliæ, uti il-
lud videre licet non tantum apud Hippocratem l. 2. de Morbis Mu-
lierum, sed etiam apud Galenum l. 6. c. 5. circa finem, dicit enim,
sed accedit interdum fœminis muliebre vocatum *profluxum*, vel *utero*
haudquaquam affecto, cum videlicet universum corpus per ipsum expur-
gatur; Unde etiam definitur à Joh. Baptista Cortesio, Pract. Med.
p. 3. c. 7. quod sit *destillatio uteri diurna*, per quam totum corpus ex-
purgatur.

IV.

Quam definitionem, ut nimium generalem, cum non semper to-
tum corpus simul affici (nisi in *cacochymia*) ipsi Autores existima-
runt, sed nunc hanc nunc illam partem principem, peculiaria etiam
sua excrementa per uterum ut per sentinam amandantem, vid. Fern.
de Part. Morb. & Sympt. 56. c. 16. sequentes alii, inter quos Varan-
dæus de Morb. Mul. cap. 4. nec non Riverius de Morb. Mul. cap. 4.
non contempnendi suis temporibus Viri, immutarunt, existimantes
quod sit *profluxus*, seu ut dicit citatus Varandæus, *excretum immo-
dicum* præter naturam ab *utero* materia excrementitiae aut *seminalis*,
qua propter impuritatem totius corporis vel alicuius partis insignioris aut
ipsius uteri & vasorum imbecillitatem, effunditur; Unde etiam prout
hæc vel illa pars affecta putabatur, variae antè dictæ species énatæ;
quod clarius videre licet ex citatis jam antè Autoribus, Varandæus
enim, cum quo consentit Riverius, citato loco inquit: *Ex quibus*

vero

loris affect:

vero potissimum materia ista proficiscatur, ita erit perlustrandum, siquidem enim totum corpus tumidum & molle existit cum venarum tensione & plenitudine, que inferat lassitudines spontaneas ab Hipp. decantatas, tum maxime erit conjectura fluorem istum ex toto corpore promana-re, ut longa oratione docuit Galenus in uxore illa Boëti Consulis Romani. Quod è jecore, ventriculo, cerebro, aut alio viscere suboriatur, id etiam demonstrabunt peculiaria, unicuique parti Symptomata, verbi gr., dolor circa dextrum Hypochond., calor aut tumor sensibilis, cum excrementis biliosis quibusdam huic fluori permixtis jecoris affectum indicabunt, quemadmodum lienis si in sinistro sint aspectabilia cum miscella succi faculenti vel atrioris, quod si inappetentia, ructus acidi, frequens nausea, & ventriculi oppressio agrum infestent cum pituita; excrementi copia, quo evacuato ista molestia tollantur aut saliem minuantur, nemo dubitare potest quin ex ventriculo ista cruditates delabantur, vel etiam ex cerebro, quando circa caput gravedines, sputationes insigne, lumborum, & dorsi dolores quasi perreptantes apparent, cum suppressione insueta eorum que per os & nares excernebantur.

V.

Verum enim vero, quam infeliciter effectus pro causis sumentes hallucinati fuerint, cum nec *uterum* ut sentinam, neque ullam partem eo excrementa sua ex professo amandantem, agnoscamus, brevi demonstraturi; quare etiam minus arridet illa circumscrip^tio, cui substituendam putamus aliam, qua dicimus esse *Fluorem Uterinum* à succo nutritio uteri depravato, & aliquando acrimoniam propter stagnationem, vel in glandulis vel vasculis, adepto, & pro variarum particularum admixtione & dispositione vario; Ubi notandum, me per *uterum* non solum intelligere rotundum *uteri* corpus, seu *fundum*, sed & *cervicem* & *vaginam*, quippe cum in illis partibus similia itidem vascula reperiantur: rationes autem, cur veterum definitionem retinere, eorundemque sententias amplecti recusemus, sunt variae, præterquam enim, quod non nisi error sit quaternarius humorum in venis & arteriis contentorum, adeoque exrementiorum numerus, ipso etiam Hippocrate suo tempore facile Medicorum Principe reclamante, Quippe qui de vet. Med. non amarum, salsum, insipidum, austерum &c. &c. solum, sed & sexcenta alia sanguini nostro inesse pronuntiavit; nullatenus

uterum insuper ut cloacam seu sentinam totius corporis esse statuimus, quoniam & nobis, & avis, & abavis, & atavis, ceterisque superiorum saeculorum majoribus vita & lux negatae fuissent, & non nisi unius gens atatis, vel solus Adamus & Eva naturaliter, exstitissent.

VI.

Conceptus enim & generatio hoc modo quia sublati necessario fuissent; sanguinis enim quamdiu spiramus cum circuitus sit continuus, etiam necessario in omnibus corporis humani partibus ubivis humorum, & secundum veterum opiniones excrementiorum, deberet fieri secretio, adeoq; sive hominem ex concursu seminis utriusque sexus, ut voluit Hipp. l. de Genit. circ. med. sive ex Animalculis in Spermis Virili contentis, ut voluit Levenhoeck in Epist. ad societatem Regiam Londinensem conscripta 30. Martii anni 1685. sive ex ovo in testibus mulierum contento, quae omnibus hactenus maxime placuit sententia, generari statuamus, frustraneum & irritum conceptum ubivis conspicimus, tam enim falsa pituita, quam acida & vitrea, quae tres ab illis dicebantur pituitæ excrementitiæ species, vid. Senn. Instit. l. 2. part. 2. c. 4. activas vel seminis vel seminum, utpote plurimas particulas sulphureas nec non tenaces sibi junctas habentium, ut illud ex spermate virili in pollutione nocturna emissso & collecto, tam odore quam visu percipitur, particulas destruet: omnia enim acida & sanguinem, & omnes humores in corpore contentos, & paucō vel nullo sale, plurimis vero particulis sulphureis & tenacibus gaudentes, coagulare vel earundem robur infringere, tritum satis, adeo etiam ut lippis & tonsoribus experimenta per spiritus acidos ut Salis, Vitrioli, Nitri, Acetum & similia, sanguini humoribusq; instillatos, sanguinem humoresque coagulantes, saluumque tam volatilium quam fixorum vim infringentes, facta, nota sunt.

VII.

Præterquam quod particulae etiam viscidæ, pituitæ basis, vim quoque aliarum & subtiliorum partium semen prolificum unâ constitutum, motum tollendo, eas cingendo & in ulnis detinendo, illuderent, non aliter quam sali volatili C. C. aliisque, nec non sali tartari fixo, à Spiritu Vini nec non etiam ab aliis oleosis, contingit: etiam ipsa animalcula seu homunciones potius in spermate virili, si absurdâ hæc sententia vera foret, contentos, enecaret, atque ita infantes homicidi,

dii,

dii, antequam lucem ingressus homo, rex aliquo modo forent fœminæ: ex ovo autem, quam quoque sententiam amplectimur, si hominem produci statuitur, quamvis non homicidium, festinatio tamen ejusdem, ut loquitur Tertullianus, dicens, *homicidii festinatio est prohibere nasei, nec refert natum quis eripiat, an nascentem disturbet, homo est & qui est futurus, etiam fructus omnis jam in semine est*, inde enasceretur, idque non tantum propter rationes jam ante à destructione spermatis virilis desumptas, verum etiam quia præter id sua viscositate ova in uterum per *Tubas Fallopianas* propulsa, involveret, vias præcluderet, atque ita particulas activas seminis virilis ab ingressu arceret, Generationemque hominis sufflaminaret.

VIII.

De Vitrea pituita, tam propter viscositatem & frigiditatem, quibus qualitatibus præditam esse Praxagoras docuit, & Galenus de Locis affect. c. i. paulo ultra medium confirmavit, idem esto judicium.

IX.

Non meliorum æquæ sententiæ alciam experietur *tertia Pituitæ species*, quæ *salsa* dicitur, propter summam quoque sui tenacitatem, quæ tanta est, ut etiam salis, quod alioquin attenuat, incidit, vires in illa incidenda Iudibrio quasi exponat, quatenus enerve quasi ab ea detinetur, idque tam firmis quidem vinculis injectis, ut etiam acida illi pituitæ affusa ne quidem fermentationem, seu inimicam pugnam utrisque alioquin familiarem, si sibi invicem occurrere coguntur, excident aut subeant.

X.

Æquius nullus, nisi qui omnem diligentem & consideratam in veritatem inquisitionem seu saniorem Philosophiam ex Medicina eliminandam censuerit, judicium feret de quatuor bilis exrementitiæ speciebus, *Vitellina scil. Aruginosa, Porracea & Isatode*. *Vitellina* enim quæ, vid. Senn. l. 2. p. 2. c. 6. circa medium, & Fernel. l. 6. c. 9. Physiolog. paulo ultra principium Vitellis ovorum crudis comparatur, *flavâque crassior*, à calore non naturali acrimonia torrefacta & producta censetur, omnino inepta erit ad hominis stamina seu ejus delineamenta in ovis contenta, extendenda; primò quia ipsa ab ipsis ad nutrimentum (ad eoque extensionem delineationis corporeæ) habetur,

tur inepta, cum tamen illa sine nutrimento, id est particularum per quietem & superficierum convenientiam agglutinationem fieri nequeat, secundò quia etiam igneus calor potius destrutivus, omnia cum moderata esse debeant, ut in ovorum concoctione & Gallinæ super illa incubatione, nec non corundem exclusione patet, tertio quia *bilis istius*, ut pituitæ, crassities, impedimento foret vi seminis prolifici.

XI.

Similis quoque criminis & *Porracea*, & *Æruginosa* insimulandæ, præterquam enim, quod crudæ sint & à vi fermenti in Ventriculo superari & separari nequierint, vid. Autores supra enumeratos, nihilominus mordaces statuuntur, ea tamen cum differentia, quod *æruginosa* inordacior sit, quæ mordicans qualitas cum non tantum ex accido *craffo*, vel *austero*, vel alio quodam *caustico* oriatur, quis sanæ mentis erit, qui non sufflaminaturas potius quam Generationem promotoras sustinebit? præprimis si ~~et~~ sale Volatili ex *Virili spermate* egressi & per *ovorum* poros ingressi, primi liquoris in eo contenti fermentatio inchoatur, cui ut ante dictum acida sunt inimica, præterquam quod si ovis etiam acida illa intrando miscerentur, corrumperentur, & nidorem contraherent, huic jam dicto operi infensum. De *Isatode* simile judicandum, cum illa ex duabus prioribus speciebus oriatur, & incrementum sumat, quapropter illius examen sicco pede transibimus, angustis id quoque à nobis disputationis limitibus & proposito nostro desiderantibus, paucis autem humorem Melancholicum excrementitium lustrabimus.

XII.

Quem humorem atrum ex ustione, aut putrescentia in acidum mutatum esse statuebant, eumque atræ bilis postea nomine insigniebant, adeò etiam acrem volebant, ut non tantum saporem aceti acerrimi referret, sed etiam ut corpus roderet, carnem liquaret & corrumperet, fermentationem ebullitionemque excitaret, unde etiam omne animal ejus gustum respuebat, & vel primis labris gustare dsignabatur, triplicem ut coeteros humores eum quoque jactabant *excrementios* & *præternaturales*, unam nempe ex *sanguine adusto*, alteram ex *succo Melancholico*, tertiam vero ex *bile flava* vel *Vitellina* magis adusta,

ta, prioribusque pejore, lumina sua vitalia haurire; sentientes vid. supra citat. Aut. part. 2. c. 2. Verum si quis sententiæ hujus calculum rectè inire velit, non æquius de eo, quam de cœteris, judicium ferendum animadvertiset, idque propter summam acrimoniam, ut de accidis dictum, *sperma virile destruentem, ovulorum membranas corrodentem, liquorem in illis contentum aut effundentem, coagulantem, aut poros membranarum tali modo immutantem, ut spermati virili ante sui destructionem, introitum in ova, negent.*

XIII.

Tribus itaque hisce *Humoribus* perspectis, non est quod diu multumque de quarto, ipso nempe sanguine, laboremus, quippe cum eum nusquam præternaturalem, adeoque non excrementium sed moderatum, & substantiæ & qualitatum mediocritate gaudere, & non nisi aliorum *humorum* permixtione & accessu turbari, ita tamen, ut in alium humorē nullatenus convertatur, voluerunt; *Vid. Fern. l. 6. de Funct. & Humor. c. 8.* circa finem, unde itaque facile sequitur, eum ut excrementium non excerni, adeoque silentio prætereundum.

XIV.

Quare ad alias rationes pergeremus, nisi objicientes audiremus, Veteres non semper illos *humores* excerni & præsentes esse statuere, sed solum in statu præternaturali, adeoque conceptionem non impedire, nisi ubi jam totum corpus, aut aliqua tantum princeps pars vitio aliquo languescat, quod cum semper non contingat, etiam non semper conceptioni impedimento esse. Verum enim vero facilis est ad hanc objectionem responsio, si modo *aëris*, cuius ingressu vivimus, adeo etiam indigemus ut ne tantillum temporis sine eo, absque noxa, respiratione interrupta, aut abolita, id docentibus, subsistere possimus, mutationes continuas inspiciamus, inde enim, quippe cum sanguini permiscetur, etiam vacillantem semper esse debere sanitatem, instabilem sanguinis humorumque temperiem, adeoque vix aut nunquam in suo statu permanentem, *hujusque humorum excrementiorum productionem successivè ferè continuam esse debere*, edoceatur; varia ad id etiam de die in diem diæta noxia & varia observata, erroribusque indies in sex rebus non naturalibus ita dictis commissis, adjuyamen præstantibus.

B

XV. Cum

horugß

XV.

Cum quibus rationibus ipsa quoque conspirat experientia, indicet enim etiam *cacochymicas* ne quidem huic morbo esse obnoxias, immo *Phtysicas*, aliisque morbis subjectas, in quibus hi *humores excrementitii* secundum veterum placita principatum obtinent, ab hoc malo omnino liberè vivere videmus, in gravidis quam plurimis quæso nonne ventriculum à statu naturali, (ut cum veteribus loquar) desciscere, observamus? unde enim quæso omnis in ipsis generis alioquin dejectiones? nisi ab ejus debilitate, cuius illæ naturæ? nisi secundum ipsos, præternaturalis adeoque excrementitiae, cum tamen per illarum uteros talis nunquam materia, seu tales *humores excernuntur*, quod tamen fieri necessum foret, quoniam ipsius ventriculi *humores excrementios* etiam per uterus secerni recabantur, per totum autem graviditatis tempus in utero contineri, credere absurdum foret, quoniam non tantum monstrofa, & solitum modum excedens uteri inde oriretur moles, quod tamen raro accidit, aut si evenit, non tamen id ab ejusmodi *humoribus*, qui comites post partum non reperiuntur, sed ab aliis causis, quæ hujus jam loci non sunt, accersendum; verum etiam ut antè dictum *ovulorum* corruptiones, generationisque promotiones sufflaminarentur, neque uni ventriculo tanta contingit tempore gestationis vicissitudo, sed omni sanguini, adeoque omnibus partibus, à quibus itaque etiam *humores excrementitii* ad uterus amandarentur, atque ita *generatio* magis sufflaminaretur; cui cum omnis experientia contradicit, etiam objectioni abunde satisfactum putus: præterquam quod ipsa insuper cacochymicarum conceptio, quæ propter *humorum* illorum continuam secretionem fieri non posset, uti antè demonstratum, ei unà repugnet.

XVI.

Omissò itaque harum rationum ulteriori examine, alias plures ab ipsa *uteri extirpatione* desumptas, quarum historias legere licet plurimas apud Schenck. l. 4. de Uteri Ectomia, nec non apud Parœum l. de Generat. c. 48.; nec non ab ejus *prolapsu*, passim Practicis tam Medicis, quam Chirurgis, nec non Obstetricibus obvio, proferremus, nisi alia argumenta ex viarum defectu desumpta, agmen omnne clauderent, interumque ad nobiliorem usum necessariasque deli-

cias

•S (n) S.

cias destinatum & creatum, à tam foedo, omnibusque contemnendo officio, vindicarent.

XVII.

Quod ut ad oculum luce meridiana clarius pateat, notandum tantum venit, membranosum, carnosum & partim glandulosum hoc genitale arvum nullis aliis lætari vasculis, quam arteriis, partim ex hypogastricis, partim ex spermaticis, ortis, variis in locis sibi invicem per anastomoses junctis, serpentoque ductu id peragantibus; *Venis* partim à præparantibus, partim quoque ab hypogastricis, similique modo ut arteriae in infinitis locis per anastomoses, variis etiam valvulis donatis, junctis, provenientibus; ut & *vasis lymphaticis* plurimis, per externam ejus substantiam expansis & dispersis, sensum sese congregantibus, rivulorumque instar, donec tandem ad magnum chyli lymphæque receptaculum tanquam ad terminum ad quem pervenere, auctis; nec non *nervis* duplicitis generis, tum à propaginibus rami sextæ conjugationis interni, tum ab osse sacro excurrentibus; *Tubis Fallopianis* binis & ad *uteri* latera, à cujus fundo angusto principio enascuntur, sitis, ab Inventore vel saltem Propalatore Fallopio ita dictis; *Ductibusque propriis*, tam vaginam quam uteri collum rugosum obsidentibus, per membranosam & fortè, ut inquit Regnerus de Graeff, quodammodo glandulosam uteri substantiam c. 7. & 8. dispersis.

XVIII.

Ex quibus vasculis nulla peculiari illi veterum antè descripto muneri sunt destinata: omnibus enim, qui vel à primo limine Phœbeam artem salutarunt, notum est, *arterias* sanguinem ex corde propulsum ad partes, imò etiam extimas, & in corporis superficie positas, deferre, ac proinde etiam ipsi *utero* largiri; menstruorum quoque fluxu, à concursu solis & lunæ sub certis quadris, id docente, illo enim tempore attestantibus plurimis anatomicis, interna uteri membrana ab hiantibus & prominentibus arteriarum disculis omnino aspera reperitur.

XIX.

Contrarium verò est *venarum* officium, quippe quæ sanguinem ad partes antea delatum, plurimis tamen particulis in variis partibus va-

riè per secretionem pororum, quas glandulæ possident, nullius autem fermenti ope, orbatum, ad cor revehunt, adeoque etiam circa uterum eodem munere funguntur, nullamque materiam fluori albo supeditant.

XX.

Similis quoque illi est *vasorum lymphaticorum usus*, quippe quæ lympham non ad uterum, sed ab ipso utero denuò ad commune receptaculum revehunt, quæ inde denuò ad cor, ut sanguinis fluiditatem unà conservet, fermentationemque in corde purpureæ animæ subeundam, facilitet, defertur.

XXI.

Demandatam *nervis* quis nescit provinciam? nemo sanè, ut putamus, Medicorum, qui attenta mente animæ corporisque conjunctionem, & resultantes ex illo fonte functiones animales unquam lustravit; hæ enim cùm à spiritibus à sanguine secretis, & à Mente ad hæc vel illa munia obeunda terminatis, animaliumque hinc nomine insignitis, peragantur, nullique præter *nervos* tramites, per quos iter ad partes accelerare possint, reperiantur, eos solis transmittendis quoque spiritibus inservire, nulli dubium esse potest.

XXII.

Aliam quoque necessariam, nec non utilem minus, & à detestandâ tam infestorum humorum vectura diversam spartam adornant *Tuba Fallopianæ*, quippe cùm hæ *ovis* in testibus muliebris contentis & ad maturitatem deductis non tantùm simpliciter transitum præbeant, verum etiam musculosis fimbriis sese contrahendo & explicando, digitorum instar, eorundem iter promoveant, & in uterum propellant, ut in eo stamina seu rudimenta humana, ope spermatis virilis, in ætum deducantur, & ope materni nutrimenti in majorem & homini convenientem molem intra septem vel novem plerumque mensium spatium, accrescant.

XXIII.

Non minoribus multò laudibus extollenda fors obtigit *peculiaribus ductibus*, tamen vaginam quam uteri collum perreptantibus, liquorem enim seroso pituitosum, sale volatili imprægnatum vehunt, ad *Veneris* sacra eò commodius celebranda, perquam necessarium, idque non

non tantum primos aditus madefaciendo & lubricando, verum etiam ipsas *Sacerdotes* ad majorem ardorem incitando, ne sacra ista tanto periculo subjecta, ut saepe ipsae pro victimis damnosam tunc *Venerem* proprio sanguine placare cogantur, respuant; tanta enim cum voluptate aliquando liquor prorumpit, ut sponte in virorum amplexus ruant, & quanta ex virorum prostatis plerumque solet.

XXIV.

Præter recensitas jam *vias* cum nullæ aliæ ad *uterum* ex aliis partibus deriventur, illæque singulæ alio munere singulari fungantur, à ratione satis alienum & omnino falsum esse supponimus, illum ut cloacam totius corporis creatum, & ut sentinam fœdos illius putridosque humores recipere, propellere seu expurgare, ideoque erro-neum fluorem album jam rejectis humoribus natalia debere, totumque corpus ut etiam quidem adhuc recentiores, inter quos piæ memoriae Waldtsmidt in Colleg. ad Observationes Timxi à Guldenklee expurgari.

XXV.

Quare aliæ causæ investigandæ, neque illæ extra, sed in ipso *utero* quærendæ veniunt: quod ut certius & tutius fiat, in memoriam revocanda sunt, ea quæ thesi 17. dicta fuere, *uterum* nempe partim *mem-branosum*, *carneum*, & *glandulosum* partim esse, quæ omnes partes cum absque nutrimento, ut omnes totius nostri corporis, consistere nequeant, etiam certo certius statuimus, certos quosdam humores, tam per *arteriarum* per totum *uterum* dispersarum, & in indefinitos surculos divisarum, poros transudantes, quam ex *arteriolis* glandularum ope secretos, illo munere fungi: nulli enim alii liquores, præter recensitos in *venis*, *arteriis*, *nervis*, *vasis lymphaticis*, *tubis Fallopianis* & *testibus ductibusque peculiaribus* contentos, ad *uterum* perveniunt, aut ab *utero* amandantur, eosque innocuos ratio docet: *arteria* enim & *venæ* si earundem ora aperirentur, sanguinem, ut in fluxu menstruo ex *arteriis*, nec non in *venæ* sectione ex *venis* contingit, largiren-tur, sicut & *Lymphatica* aquam ut in hydrope tam uteri, quam tubarum Fallopianarum saepe saepius ab observatoribus plurimis reperto, *nervi* vero spiritus tantum animales præberent mitissimos, si condensati denuo aliquando in *nervis* reperiantur, præterquam quod etiam

in cadaveribus dissectis, ante mortem hoc malo affectis, in iis talis materia reperta nunquam fuit, ut nec in venis, nec in arteriis, cui accedit quod *sanguis*, quandiu circulatur, nunquam tetro odore afficiatur, aut si extravasatus stagnat, grumescat, nunquam vero in pus similemve materiam abeat, contusionibus id luculenter demonstrantibus: imo in initio hujus mali, ubi omnia adhuc mitiora sunt omnes functiones tam animales quam automaticæ, rite adhuc à laborantibus peraguntur, quod nusquam sieret, si *sanguis* hujus mali unicus autor existeret, eo enim non recte constituto vel hæ vel illæ functiones labeantur, quoniam ab eo omnes liquores, vel his vel illis functionibus destinati, ut rivuli à fonte emanant & scaturiunt.

XXVI.

Testium vero liquorem, quis est qui culpet? cum saepè unico momento tanta materiæ copia excernatur, quantæ omnia *ova* ipsique testes capiendæ, adeoque largiendæ, sint imparia. Quare in humoribus nutritioni alioquin dicatis nefandi hujus mali causam querendam esse merito existimamus; ipsis Symptomatibus huic malo propriis, ad illud statuendum face quasi præludentibus, quæ eapropter etiam præmittenda operæ pretium ducimus, præsertim cum ex eorundem cognitione, & investigatione, in morborum ægrotantiumque cognitionem tutioribus gressibus deveniamus.

XXVII.

Sunt autem illa in initio mitiora, adeo etiam mitia, ut præter excretionem humoris nihil animadvertisatur, at malo hoc aliquamdiu protracto, & diutius urgente, graviora multo affligunt symptomata; qualia sunt *virium tandem dejectio*, *lassitudo spontanea*, *pedum manuumque ac crurum quasi torpor*, *faciei pallor*, *diversarum partium dolores*, *respiratio difficilis*, tandemque totius corporis languor, *cachexia*, *tabes*, *imo ipsa mors consequitur*, idque vel pro quantitate vel qualitate hujus succi, unde etiam variorum colorum ortus, immutata; hic enim succus, ubi vel in glandulis, vel membraneis uteri & carnosis fibrillis aliquamdiu subsistit, easdem humido lentore laxiores reddit, sibi que exitum parat; quod quando contingit, symptomata omnia sunt mitiora, ita ut non nisi excretionem humoris albi & viscidii animadvertere licet, cuius ctiam copia à pluralitate fibrarum laxata-

ruin

rum dependet, ut & inde virium tandem dejectio, lassitudo spontanea, faciei pallor, nec non totius corporis languor, cachexia, tandemque tabes; partes enim à nutritione superfluxæ, aut propter continuum transitum partibus uteri sese jungere nesciæ, per vasa lymphatica denuò ad sanguinem delatæ ejus fluorem & mixturam conservant fermentationemque hoc modo adjuvant.

XXVIII.

Corpora enim subtiliora & fluidiora, facilius ad motum, fermentationem & effervescentiam, deduci, quam crassiora & solidiora, ipsa docent exempla chymica, ex affusione *Olei Tart.* & *Spiritus Vitriol.*, nec non *Butyri Antim.* & *Spiritus Nitr.* desumpta, quippe quæ corpora sibi invicem affusa protinus effervescent, cùm antea minus soluta & sibi invicem mixta, inertia, & perpetua quasi amicitia juncta, tranquilla subsstant: eodem modo sese res habet in calce viva, ubi partes fermentativæ quamdiu aquæ adjumento à se invicem non separantur, à prælio quod sejunctim ineunt, abstinent. Qui fluor quæque fermentatio quamdiu ritè conservantur omnes functiones tam animales, quam vitales &c. ritè peraguntur; tunc enim uberior *spirituum vitalium*, adeoque *animalium*, nec non succorum nutritiorum proventus, cum contra ex ejus defectu, *sanguine* crassiore & viscidiore reddito, non tantum eorundem messis sit sterilior, sed etiam sufficientis nutrimenti, ut & *spirituum* defectus, *spontaneæ lassitudinis*, *languoris*, *totius corporis*, *pedum manuum*, *crurum torporis* autores existunt.

XXIX.

Et desuper non *Maciem* tantum, sed & *Leucophlegmatiam* quoque producunt: quoniam humores per partes circulantes, sufficienti spirituum copia indigent ad motum sui promovendum, quibus si destituuntur, languescent sibique intimius junguntur, & ad nutritionem inceptæ evadunt, tandemque subsistunt, & in diversis, quas transeunt partibus, diversas obstructions, novorum postea malorum principes, ut Thes. I. dictum, pariunt, qui idem *spirituum* defectus, *humoresque morantes*, prædictum torporem producunt, quatenus non tantum fibrillæ nervorum à partibus tumefactis premuntur, adeoque in libero motu aliquomodo impediuntur, verum etiam, quia ob *spirituum* defectum

fectum minus tenduntur, difficilius, ægriusque motum *ad sensorium commune* deferunt, mentique objecta repræsentant: quæ eadem *sanguinis* crassities & viscositas ipsam faciem pallore defœdant, quoniam aut viscosæ particulæ unâ capillaria faciei vasa subeunt, aut crassæ nimis sanguinis, ab introitu in vasa sanguifera arcentur, unde vasa, adeoque facies sanguine defraudata & privata ruborem omnem amittit; quod ultimum si per aliquot temporis spatium perseverat, vasa propter insolitam inanitionem quasi coalescunt, unde in perpetuum *sanguinis* ingressus negatur, & facies pallet.

XXX.

Verum enim vero præter hæc symptomata etiam alia adhuc in scenam producuntur, totum sc. corpus macie conficitur, nam cum non tantum *sanguinis* circulatio, sed & *humorum* ab eo secessio sit continua, etiam humores nutritii nunc plures, nunc pauciores, sed continuè segregantur, & majori copia ad *uterum* delati, ibidemque in *uteri* cavitatem propulsi, alias partes desiderata alimonia privant, fatile autem ad *corpus uterinum*, majori caterva stipante, gressus promovent, quia qua data porta ruunt, cuius rei ratio est; quod circulacio *humorum* ubivis & semper non sit æquè celer, sed propter variam partium pressionem nunc celerius nunc tardius propter humores antecedentes forte pressos, propellantur, unde fit, quod à tergo subsequentes liberius spatium nacti, in id secedant, & ut dictum, qua data porta ruant, quale quid in *fluminibus* (si crasso exemplo uti licet) quæ ea propter sæpe non tantum cornigera & tauriformia, sed etiam in plura brachia, exiguoſe rivulos divisa, conspiciuntur, experiri cuilibet datur.

XXXI.

Sin verò sinistro magis eventu & quasi fato, succus nutritius diutius aliquamdiu subsistere cogitur, etiam magis magisque à natura desciscit, majorque ipsi acrimonia jungitur, ut illud in *tumoribus suppuratis*, nec non *ulceribus fætidis* & *putridis*, cuilibet licet, quod cum in *utero* ex valido membranarum contextu composito, accidat, etiam non adeò facile, tractu tamen temporis, ut in mollioribus claustra fortiora perrumpit, sed ad fermentationem aut à particulis aëris, aut ex vicinis partibus adventantibus, coactus motu tandem intestino ali-

quo

quo modo attenuatus, progreditur per vasa lymphatica ad commune receptaculum, & exinde ad sanguinem, cui cum miscetur mixturam ejus interturbat; hinc etiam perturbatæ humorum à sanguine secretiones, ita ut salia & acida & plures aliæ acres particulæ non amplius intimè humoribus, sanguinem constituentibus, junctæ; sed ex nexus magis solutæ, unà cum iisdem quaquaversus separentur, & per diversas partes adactæ, diversis quoque eas doloribus, aut pigrè transcundo, aut in illis pedem figendo, excruciant.

XXXII.

Et ad pulmones, aliasque partes aliquas respirationi dicatas delatae, eandem *difficilem*, partes prædictos obstruendo, præbent, temporis successu pulmonum substantiam corrodunt, unde tandem, nisi tempestivè occurratur, exulcerantur, corpus macie conficitur, ipsaque tandem mors subsequitur.

XXXIII.

Sin verò contingat, claustra perrumpi, non tantum majori copia secernit, verum etiam *uteri* tandem *inflammationes*, *exulcerationes*, plurimumque vasorum *corrosiones* produci possunt, cum quorum vasorum humoribus, ubi hic succus nutritius conjungitur, diversi coloris & odoris, à particularum minimarum dispositione & coniunctione dependentium, & consistentiæ excernit, quæ symptomata pro causarum magnitudine aut levitate, etiam majora aut leviora evadunt.

XXXIV.

Perspectis itaque non tantum *causa materiali* succo sc: nutritio, nec non *proxima* nimia sc: uteri laxitas, aut glandularum, aut viarum obstructio, sed & signis plerumque *presentibus*, facilis est *causarum anteecedentium* cognitio, quas aut sanguinis intemperies nimium *serosa* & *pituitosa*, vel *separatim serosa* aut *pituitosa sola*, ut & alio modo *crassa* aut *terrestris* constituent, serum enim in ipsa Massa sanguinea nimia quantitate contentum, particulas quidem viscidas in majoribus vasculis magis magisque à fæse invicem separat, aliisque humoribus massam sanguineam unà constituentibus, miscet, sed unà insuper illas per glandularum poros devehere conatur, & quoque in minima usque vascula, aliquando per modum secretionis cum succo nutritio, devehit; in qua secretione cum plurimis alijs particulis antea admixtis, orbantur; proprius ad fæse

C

invicem

invicem accedunt & conjunguntur, atque eo modo obstructiones, vel in glandulis vel in vasculis, causantur, ipsis serosis per poros tandem in bibulam uteri substantiam transeuntibus, eo modo illam laxantibus, aliisque particulis succi nutritii per glandulas & vasa nondum obstructa (omnes enim eodem tempore simul obstrui credendum nullatenus est) exitum in eandem uteri bibulam substantiam & in uteris cavitatem, facilitantibus.

XXXV.

Quæ relaxatio facilius multò contingit, si solæ particulæ aquæ, seu serosæ quantitate peccantes, unâ cum succo nutritio deferantur, quia se se eò facilius ab illis particulis succi nutritii separant, prædictæque uteri substantiæ insinuant.

XXXVI.

Enarratam autem quarundam & glandularum & vasculorum obstructionem, minori quoque cum molestia producent particulæ pituitosæ, unâ cum succo nutritio ad uterum propulsæ, quoniam viscosis seu glutinosis suis particulis facile sese glandularum poris insinuando, aut vasculorum parietibus adhærendo, subsistunt, atque illo modo causæ antecedentes hujus morbi audiunt, quibus etiam annumerandæ particulæ sanguinis fœculenta & terrestres, unâ cum succo nutritio, ut antè dictum, ad uterum delatae, & pro gerio vias præcludentes, nec non etiam frigida, coagulantia, & astringentia in uterus, sanguine nulla labe infecto, immissa aut introducta: undenam autem ejusmodi sanguinis intemperies ortum suum ducat, difficile non est judicatu, si intima sex non naturalium ita dictarum rerum viscera perscrutamus; nér enim humidior & erassor sive frigidior, vel ab anni tempore, vel regionis situ, cœlive statu, per inspirationem in pulmonibus, & capite sanguini, aliisque humoribus mixtus, non minus quam cibi & potus teniores, humidiiores & viscidi chylum ejusdem substantiæ suppeditantes, sanguinem tali intemperie inquinant, plurimum quoque ad hanc conferunt somni longiores, vitaque sedentaria, largiorem pituitæ Cererem ferentes; animi quoque pathemata tristia, utpote, quæ sanguinem segnem & crassiorem reddunt, uti & retenta, quæ excerni; & excreta, quæ retineri debebant; motus quoque & vigilia nimia, spiritus vitales dissipantes, adeoque sanguinem enervantes, acrioremque reddentes.

eddentes, quibus porro sex rebus non naturalibus accedunt fortis & balnea emollientia & humidiora in frequentem usum revocata, uterum ut causæ procatarecticæ, quali nomine & sex res non naturales insigniuntur, relaxantia.

XXXVII.

Quæ causæ procatarecticæ, unà cum continentibus & antecedentibus, signisque plerumque comitibus recensitæ, disputationis hujus limites ponerent, nisi dubios fortè & anxijs quosdam tenerent, quæ Thes. 6. de continuo sanguinis circuitu, nec non de continua inde propullante humorum secrezione, ut & de peculiaribus ductibus liquorē vel semen muliebre, quod in prælio Veneris excernitur, dicta fuere; quantum sc: fluor propter non interruptam illam separationem semper deberet esse continuus, cùm tamen experientia testetur, eum quandoque nunc præsentem, nunc absenteim, adeoque interruptum; verum ex hoc dubio se se absque labore extricabit, qui obstruktiones non semper esse continuas, sed aliquando dissolvi, aliquando levissima de causa denuò ori, pustulis nec non tumoribus in superficie corporis saepe enatis, & cum & sine suppuratione nunc disparentibus, nunc verò apparentibus, id testantibus; præterquam quod etiam non omnes simul obstruktiones ut neque oriuntur, solvantur aut aperiantur.

XXXVIII.

Ad liquorē verò quod spectat ex ductibus peculiaribus profiliētem, illa Gonorrhœa sic dictæ, non autem huic malo materiem suppeditat, propriisque etiam signis & symptomatibus ab hoc malo distinguitur, uti id apud Autores passim videre licet, ad quos brevitatis causa curiosos benevolosque Lectores remittimus, pedemque figimus, ad Generalem curandi Methodum properantes; notandum tamen semper in curandis morbis virium nec non symptomatum, ætatis, regionis & similiū, causarumque, rationem esse habendam, quippe cum minima circumstantia ut jus (secundum commune adagium) ita etiam morborum curam variet: adeoque omnibus convenientem subiectere difficile, si non omnino vires excedat.

XXXIX.

Ad generalem itaque quod attinet methodum, illa pro causarum diversitate varianda: quapropter si à serosa & pituitosa sanguinis intemperie

perie oriatur uteri laxitas, protinus à purgante ex Extract. Cathol. Mercur. dulc. Rad. vel Res. Falapp., nec non Bryon. Mechoacan., additis Salibus vel Prunell. vel Artem. Puleg. Sabin. unà cum Castor. vel Ass. foetid. Hepat. Anguill. similibusve uterinis, cura inchoanda, quo exhibito, circumstantiisque desiderantibus repetito, Sudorifera, qualia sunt Antim. Diaphor., Salia Alkalia, C. C. Phil. ppr., Bezoard. miner. Flor. Cinnab. nativ., Reg. Antim. ruber, Rad. Angel. Carlin. Sals. Parvill. Lign. Guajac. Sassafr. Card. Bened. Absynth. quibus omnibus pro re nata adjungi possunt Sal Vol. C. C. Succ., Cran. Hum. & simil: ut & Diuretica, inter quæ Alcalia salia, ut & Crystall. salis dulces, Ocul. Cancer. & simil. in usum revocare, utile erit: Postea verò ad astrin- gentia deveniendum, ad quæ etiam quidem in initio recurri potest, quæ desumi possunt ex Bol. Arm. Corall. Lap. Hemat. Sang. Drac. Gran. Kermes, rad. bistort. tormentill. &c. Quæ Methodus & Medica- menta etiam in sola serosa intemperie suum sibi locum vindicant, quibus si laxa nimis uteri constitutio non obsequatur, ex iisdem ve- getabilibus astring. injectiones parari, vel etiam pessaria ex linte- minibus facta, & in Decoct. madefacta parari & adhiberi possunt.

XL.

Sanguinis autem intemperies viscida sola primò digerentia, inter quæ Crem. Tart. ejusdem Sal, Sal Tart. Nitr. &c. & incidentia, qualia sunt Sal. Alkal., nec non Rad. inter sudorifera, unà cum Lign. Sassafr. & Guajaco relata, desiderat: postea verò purgantia jam enarrata erunt proficia. Similem quoque Methodum desiderat sanguinis intemperies fœculenta, quippe quæ primum digerenda etiam & incidenda semper cum uterinis mixtis, nisi mensium fluxus unà, ut quandoque contin- git, adfuerit, ad quem semper attendendum, quo in casu uterina ut pellentia sunt omittenda: frigida verò coagulantia uterum ingressa, sunt arcenda, ne iterato adventu, malum malo accumulent.

XLI.

Quæ cura cum celebratur, etiam obstructionis Glandularum & Va- scularum, si ex illis malum proveniat, sanguine bene constituto, ra- tio habenda est; illæ enim sunt referandæ, quod fieri poterit Medi- camentis aperitivis ex Chalybe & Metallis, qualia sunt Tinct. Metall. Infusio Chalyb. Tinct. & Crec. Mart. aperient. cœterisque utero dica- tis &

tis & Thes. 39. relatis depromptis, quæ Chalybeata etiam in sanguinis mixtura à succo nutritio depravato eumque ingresso, maximam laudem merentur; quamvis illa etiam restituatur Sudoriferis & Diureticis enarratis. Ex quibus, pro re nata variæ à perito Medico, ut & ab aliis huic morbo dicatis & brevitatis gratia omissis medicamentis, ad palatum gratae formulæ, concinnari possunt. Causæ autem procatarcticæ ut externæ, quantum fieri potest, partim alterandæ, ut aër, partim omnino, quantum fieri potest, tollendæ.

XLII.

Diæta quoque, quæ remediorum vices unà sustinet, oblivioni nullatenus tradenda, de qua ulterius agere superfluum, cum nihil de ea dici possit, quam quod obiter de causis procatarcticis dictum, unico duntaxat excepto, ejusdem sc: pro diversitate causarum variatio, hujus disputationis angustæ (adeoque etiam brevius, quam fortè aliorum ingenia desiderant) propter necessitatem, temporisque defectum, limites ponentes.

ANNEXA RESPONDENTIS.

1. **T**heoria in Medicina à Praxi vera sejungi nec debet nec potest.
2. Fermentatio & Effervescentia differunt tantum gradu.
3. Proprium Ventriculi Fermentum sale caret.
4. Effervescentiam non tantum ex Salis & Acidi, sed & ex duorum Acidorum concurso contingere, experientia edocet.
5. Bilis non ingreditur, minus regreditur in sanguinem.
6. Effervescentia inter Succum Pancreaticum & Bilem ad statum sanitatis conservandum non absolute est necessaria, ut & nunquam probata naturalis.
7. Narcotica vires suas, non tantum sanguinis fermentationem & motum sufflaminando, verum & spirituum animalium consuetum per nervos fluxum impediendo, exercent.
8. Quacunque Purgantia non solum, verum & laxantia quævis sanguinem ingrediuntur, eumque suo modo turbant.
9. Omnis inflammatio à partiali fibrillarum secundum poros, à sale potissimum, obstructione oritur.
10. Ratio;

10. Ratio, cur ingentibus cruciati doloribus facile Syncope corripiantur, in nimia Spirituum ad partem dolentem derivatione querenda est.
11. Catochum seu Catalepsin, Glandulam Pinealem à Catarrho vel totam vel secundum partem obsecram, ac ea ratione motu sive mutatione sua substitutam, pro causa agnoscere, affirm.
12. Iliacus affectus inter alia, ab intestini in intestinum prolapsis seu ingressu, originem suam miserandam trahit.
13. Glandulam Pinealem esse Animæ sedem, licet Crambe ad fastidium usque cocta videri possit, nihilominus denuo apponitur.
14. Uterus & Mamma correspondent & arteriis & nervis.
15. Chlorosis, Passionis Hysterica, ut & Furoris Uterini curâ frustra, adhibitis Medicamentis ordinariis, tentatâ, tandem, permittentibus illud circumstantiis, ut istis affectibus laborantes amplexibus committantur maritalibus, suadendum est.
16. Sententiam hanc tricam, die hüb schte Jungfern geben die heßlichste Weiber / und die heßlichste Jungfern geben die hüb schte Weiber / ut nimis generalem, negat. defend.

F I N I S.

Magnum est si quisquam Generis splendore coruscat,
Majus si Genii Luce nitere potest.
Tu fulges utroque simul Tersissime LELY
Illud naturæ est, hoc tibi Cura dedit.
Perge istis radiare bonis, nomenque micabit
Quantum inter flores LILIA pulcra solent.

Paucis hisce Nobiliß. Dn. RESPONDENTI
gratulatur duorum annorum labores

P R A E S E S.

Nobilissimo

8 (23) 80

Nobilissimo & tam Morum, quam Ingenii laudibus
florentissimo Juveni

G E O R G. W I L H. L E L Y,

De Albo Fluore publica dissertatione, diligentiae privatæ
specimina cum applausu sistenti,

S A C R U M.

Magnæ mentis opus moves
LILI, Pœoniæ dulce decus chori,
[Quem laudanda Modestia ;
Nec non Ingenii splendor amabilis,
Mores, nudaque Veritas,
Invictusque labor rebus in optimis,
Cunctis conciliant bonis :]
Quod Primus Cathedram pergis ad inclutam
Felix, Auspice GRAAFIO,
Docto Phœbigenam vel Podalirium
Nostris reddere sœculis :
Quod morbis operam sedulus arduam
Offers, pallida menstrua
Cum se præcipitant Virginibus bonis,
Et Matres fieri vetant
Exesis uteri tabiflui tubis ;
Cum buxi aut violæ modo
Heu ! luget Venerum pallor amantium :
Sic magnæ Veneri places,
Sic Lucina Tibi necdit amaracos :
Sic Nymphæ faciles Tibi
Jam plenis calathis Lilia congerunt :
Servati Tibi Posteri
Ornabunt merita tempora Civica !

Inter avocamenta & interpellationes hoc qualemque sui
favoris & benevolentie monumentum præcipiti
stylo L. M. P.

H E N R. C H R. H E N N I N.
D. & P. P. Philos. Ord. h. t. Decanus.

PERENNATURÆ FAMÆ
Excellentissimi DN. PRÆSIDIS,

& Meritissimis Honoribus

Nobilissimi D. RESPONDENTIS,

Qualiacunque hac anathemata L. M. Q. suspendit

HERMANNUS CRUSIUS, P. C.
Scholarum Meursensium Rector.

I.

Sanguine profuso terræque undæque rubebant,

Tam ferus urgebat Martia corda furor.

Cum Pallas GRAFIÖ, cur nostra quiescit arena,

Nullaque linguarum bella moventur? ait.

Audiit Ille Deam, nec enim fas temnere Divos,

Quæque petebantur prælia, fortis init.

Concursum utrinque est. Sed vicit protinus hostem,

Non minus eloquio, quam ratione potens.

Quidam aderant Veterum, quos forte emiserat Orcus,

Pugnandique novos obstupuere modos.

Nec deerat plausus; Tantum valet incluta virtus!

Hos etenim fama est ore dedisse sonos:

Per quem Phœbigenæ, cui rara altaria fumant,

Crebrior obtinget gallus, * HIC UNUS erit.

* Aesculapius, Phœbi Filio, ægrotantium Deo delira Gentilium multitudine pro restituenda sanitate sacrificabat capram, quod animal hoc sanitati adversarium videtur, cum perpetua laboret febre. Socrates tamen, in Phædone Platonis, Gallum substituit, qui Aesculapius sacer erat, vel obvigilantiam, vel potius ob diligentiam erga ægrotos.

II.

ELIUS, insigni hoc, si quisquam nomine dignus,

Surgentis Genii plurima signa dabat.

Sed nihili hoc duxit, nisi publica pulpita nōssent,

Quas dotes animo sedula cura ferat.

Ergo subit cathedram, panditque incommoda morbi,

Quem Flora, & Phyllis sæpe dolere solent.

Ordine res acta est. Hic argumenta placebant,

Illic exemplis causa dirempta fuit.

Phœbus id audierat, quid enim non audiat ille,

Cum docta admirans pectora, latus ait:

Ite, Ite, ô Parcae! Qui vestras comprimet iras,

Et ferrum à filis arte retundet, adest.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-533043-p0031-1

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-533043-p0033-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-533043-p0034-8

DFG

190 A 6421
f



3

Nr. nur TA-206
verknüpft

R

1028
ID 17



B.I.G.

Farbkarte #13

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

3/Color

White
Magenta
Red

Yellow
Green
Cyan
Blue

Black

Black

M E D I C A,
R H E U-
M O,

N U M I N E,

D I O

perientissimi VTRI,

de GRAEFF,
mia Electorali Branden-
tia est, Professoris Or-
usti Electoris Bran-
Aulici,

objicit

L M U S L E L Y,

S.

oque solitis.

E N U M ,
lem. Typographum.
CII.

45.

